Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8447
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



Oculi mei semper ad dominum quia ipse educet de laqueo pedes meos respice in me et miserere mei quia unicus et pauper sum ego. Ps. Ad te domine leuauit animam meam deus meus in te confido non erubescam. Oremus omnipotens deus. uota humilium respice. atque ad defensionem nostram. dextram tue maiestatis extende. P. Ad Ephesios. Fratres. Estote imitatores dei sicut filii karissimi: et ambulate in dilectione sicut et xpus dilexit nos. et tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam deo in odorem suauitatis. Fornicatio autem et omnis immundicia. aut auaricia. nec nominetur in nobis sicut decet sanctos. aut turpitudo. aut stultiloquium. aut scurrilitas quae ad rem non pertinet. sed magis gratiarum actio. Hoc autem scito fratres intelligentes. quod omnis fornicator aut immundus. aut auarus. quod est ydolorum seruitus. non habet hereditatem in regno xpi et dei. Nemo uos seducat inanibus uerbis. propter hec enim uenit ira dei in filios diffidencie. Nolite ergo effici participes eorum. Eratis enim aliquando tenebre: nunc autem lux in domino ut filii lucis ambulate. Fructus enim lucis est in omni bonitate et iustitia et ueritate. Grad. Surge domine non prualeat homo iudicentur gentes in conspectu tuo. V. In conuertendo inimicum meum retrorsum infirmabuntur et peribunt a facie tua. Tract. Ad te leuaui oculos meos qui habitas in celis. V. Ecce sicut oculi seruorum in manibus dominorum suorum. V. Et sicut oculi ancille in manibus domine sue. V. Ita oculi nostri ad dominum deum nostrum donec misereatur nostri. V. Miserere nobis domine miserere nobis. Sequentia sancti Lucam. Erat iesus eiciens demonium: et illud erat mutum. Et cum eiecisset demonium. locutus est mutus. et admirati sunt turbe. Quidam autem ex eis dixerunt. In beelzebub principe demoniorum eicit demonia. Et alii tentantes. signum de celo querebant abeo. Ipse autem ut uidit cogitaciones eorum: dixit eis. Omne regnum in seipsum diuisum desolabitur: et domus super domum cadet. Si autem et satanas in seipsum diuisus est. quomodo stabit regnum ipsius: quia dicitis in beelzebub principe demoniorum eicere me demonia. Si autem ego in beelzebub eicio demonia. filii uestri in quo eiciunt. Ideo ipsi iudices uestri erunt. Porro si in digito dei eicio demonia. profecto peruenit in uos regnum dei. Cum fortis armatus custodit atrium suum in pace sunt ea quae possidet. Si autem fortior illo